

ci non potest dilectissime fili laurenti &c. Finis: de fide spe et caritate conscripsi. Solus hic istius Συλλογης Tractatus in rubricas distinctus est; reliqui indivisi decurrunt. Extat Edit. cit. T. VI. col. 195.

VI. fol. 114. p. 2. Incipit expositio Beati augustini ad litteram in genesi, sed substituit manus recentior: in Genesi contra Manicheos. Recte quidem; alia enim sunt Opera Doctoris nostri Liber de Genesi ad litteram imperfectus, et Libri XII. de Genesi ad litteram, qui extant Edit. cit. T. III. col. 93. et 117. aliud polemica Expositio nostra, quae legitur T. I. col. 645. in II. ibi Libros tributa. Initium ejus est: Si elegerint (eligerent) manichei quos deciperent &c. Finis: diligentiores tractationes (diligentioris tractationis) quae mihi uidebantur exposui. Vides lima opus esse Exemplo nostro.

### CCCXXXVIII.

U.89 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 86. f. min. luculente exaratus, rubricis distinctus, et a. 1540. ab Job. Fabro Ep. Vien. suo ad D. Nicolaum Collegio transcriptus continet diversa partim Integra, partim Excerpta D. Augustini, quorum is ordo: I. praemissa Retractatione Incipit liber S. Augustini de cura pro mortuis. Ut edit. Maur. T. VI. col. 515. Hoc quidem modo: *Diu Sanctitatis tuae Coepiscope uenerande pauline rescriptorum debitor fui &c.* Ita procedit usque ad fol.

9. verba: *nonnulla etiam uisa uigilantium*, a quibus transsilias, oportet ad fol. 53. ubi continuatur Opusculum: *qui turbatos sensus habent*, et demum fol. 59. his verbis absoluitur: *profecto interrogationi tuae responsio mea defuisset.* Quae vero fol. 9. post verba: *nonnulla etiam uisa uigilantium*, sequuntur, fragmentum sunt Retractationis Libri sequentis; nam

II. fol. 9. p. 2. Incipit liber S. Augustini de utilitate credendi. Initium: *Si mihi Honorate unum atque idem uideretur esse &c.* Finis: *ero fortasse in ceteris promptior.* Ut edit. Maur. T. VIII. col. 45.

III. fol. 34. p. 2. Excerpta ex Eiusdem Operibus de Trinitate anime hominis, *Quomodo homo regere debeat se ipsum*, et de Moribus et Doctrina. Brevia.

IV. fol. 38. p. 2. Incipit liber differentiarum Ysidori episcopi. In edit. Paris. Jac. Breullii 1601. f. p. 291. est Liber II. seu de Differentiis Spiritualibus, et incipit de Deo hoc modo: *Inter Deum et Dominum ita quidam diffinierunt &c.* Noster sistit in Differentia inter actiuam et contemplatiuam uitam his verbis: *ista uero boni operis transituri merces est et requies.* Edita procurrunt longius; dubito autem, an, quae ibi post Artic. 34. de Scientiis, Virtutibus et Vitiis adduntur, reapse ad Ysidori Differentias pertineant. Ceterum non quidem mendis caret Exemplar nostrum, ad perficiendum tamen Textum editum non uno loco seruire possit. Ita Differ. 3. ubi is legit: *quod Pater nec genitus est nec*

*nec procedens, Filius ex Patre genitus non procedens, Spiritus sanctus ex Patre et filio non genitus sed procedens, Nostrum habet: Quod pater nec factus, nec natus est, filius natus non factus est, spiritus uero sanctus nec natus, nec factus, sed ex patre et filio procedens. Paulo post Edita omittunt: filius genitus. Item ubi Edita: Quomodo filius de patre natus est, spiritus uero sanctus procedendo non nascitur; Nostrum praefert: quomodo filius nascendo procedit, spiritus uero sanctus procedendo non nascitur, et plura ejusmodi, quae saltem expendi merentur.*

V. fol. 51. p. 2. Reditur ad Augustini Excerpta.

VI. fol. 59. Incipit liber S. Augustini episcopi contra fulgentium donatistam. Abjudicarunt eum ab Augustino post alios Mauriani collectis in Praef. rationibus et in Append. T. IX. col. 3. locaverunt. Vetus tamen Autor et Augustini conterraneus ita orditur: *Libellum quem mihi religio tua frater fulgenti direxit &c. Clausulam, quam Codex noster apte subdit, nemo hactenus Editorum in Exemplis suis reperisse videtur. Est uero haec: Et ideo quoniam regnum uestrum (Donatistarum) religione diuisum est, diuisionem necesse est, interitus subsequatur.*

VII. fol. 68. Incipit liber S. Augustini episcopi ad dardanum de presentia dei et de templo eius. Initium: *Fateor mi dilectissime dardane illustrissime mihi in caritate christi &c. pro illustrior. Epistola est CL-*

XXXVII. T. II. edit. cit. col. 678. et finit: *optans medicinam quam (qua) concedis et ueniam.*

VIII. fol. 80. primum Augustini Retractiones in praecedentem Librum et in eum de Utilitate credendi, quem N°. II. indicauimus, dein Excerpta iterum e variis ejus Operibus.

IX. fol. 84. p. 2. Animae humanae cum Virtutibus et Vitiis suis allegorica adumbratio, quae finit: *Rex potens et nobilis III. habuit filias. fidem spem et caritatem. His delegauit ciuitatem eximiam. humanam animam in qua cum III. arces sint. scilicet rationalitas concupiscibilitas irascibilitas. unicuique suam contradidit &c. Reddeunt constitutis administris ad Patrem Filiae; sed interea inimicus expugnat Civitatem, quae non nisi auxilio Gratiae cum virtutum exercitu adducto recuperari potuit. Haec non sine ingenio pertexta Parabolam V. in Opp. Bernardi edit. Maur. T. III. col. 1254. constituunt.*

Augustini quae sunt in Codice, fatis castigata sunt. Ad eum postice conuestiendum adhibitae sunt Membrae II. Sec. XIV. Formulas quasdam Curiales exhibentes, puta: *Concessionem Feodi, Renunciacionem Curie, Arengam, Peticionem pro promocione in Ecclesia, Concessionem quandam Ordini, nempe religioso, Literam comminacionis &c. Generalia omnia, nisi quod in Renunciacione Curiae solempnis Curia Franckenfurt memoratur.*